

apud Patrem, Iesum Christum iustum. Et ipse  
est propitiatio pro peccatis nostris, non pro  
nostris autem tantum, sed etiam pro totius  
mundi. Et per hoc scimus, quod cognouimus  
eum, si praecepta illius seruamus.

Nostram quoque culpam Christus fert, quia  
omnia nostra peccata ipse tulit in humeris suis,  
Esa. 53. Et ea proiecit in profundum inferni, Mi-  
che. 7. Et ut Christus mortem, Diabolum & pec-  
catum vicit, ita Christianus eosdem hostes vincet,  
si crediderit, mortem, diabolum, peccatum & in-  
fernum non obesse posse, perinde ac Christo obesse  
non potuerunt, sic enim inquit Christus, Ioan. 16.

Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem  
habeatis, in mundo afflictionem habetis, sed  
confidite, ego vici mundum.

Et 1. Ioan. 5.

Omne quod natum est ex Deo, vincit  
mundum. Et hæc est victoria, quæ vicit  
mundum, fides nostra.

Hanc victoriam nobis Christus salua-  
tor noster morte sua impetravit.

1. Corinth. 15.

Absorpta est mors in victoriam. Mors,  
ubi